

Kofe

DE
SECTIONE CAESAREA
IN CLINICO OBSTETRICO BONNENSI FELICI
CUM EVENTU INSTITUTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXIII. MENSIS MARTII A. MDCCCL.

PUBLICE DEFENDET

ALBERTUS WEBER

DAUNENSIS.

OPPONENTIBUS:

E.B. PETERS, MED. CAND.

M. SIMROCK, MED. CAND.

W. SACK, MED. CAN.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
MDCCCL.



T 51 221 575

PATRI OPTIMO AC DILECTISSIMO

JOHANNI PETRO WEBER

DOCATORI MED. ET CHIR. ET ART. OBSTETR. UNAQUE PHYSICO

NEC NON

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERMANNO FRIDERICO KILIAN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, REI MEDIOAE CONSILIARIO INTIMO, PROFES-
SORI PUBL. ORD. DIRECTORI CLINICI OBSTETRICI BONNENSIS PLURIMUM
SOCIETAT. LITTER. SODALI EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO AC SUMME VENERANDO



HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Mulieris, de qua agitur, somatica conditio. Porro anamnestica et antecedentia.

A. M. C., triginta annos nata in Poppeldorf, oppidum procul a Bonna situm, sanis ex parentibus, quatuordecim ante annos morbis ignotis mortuis. Mater gravidae quatuor partus felicissime, quantum quidem gravida scit, edidit. Frater natu maior X^{mo} anno aetatis phthisi pulmonali, alter rubecolis, et soror ante tres annos XVIII annos nata item phthisi pulmonali obierunt diem supremum. De aliis morbis cognatorum gravida nil refert.

Se ipsam sex annos natam lapsam de scalae in occiput per longum tempus sui insciam fuisse magnamque sanguinis copiam amisisse gravida narrat; haec laesione longum tempus se laborasse et pallidum languidumque adspectum praecepsisse. Exinde usque ad XIV^{um} annum aetatis autumno quilibet exanthema capitis exstisset; sed quum per totam hiemem durasset, vere, nullis quidem medicaminibus exhibitis, evanuisse. Ceterum autem se bene habuisse sicuti per annos sequentes, per quos exanthemate liberta esset.

XVII annos natam per hebdomades sex chlorosi se laborasse, languidam et somnolentam se sensisse, semper doloribus capitis, nausea et vomitu, praecipue post coenam, palpitationibus cordis vexatam adspectu fuisse pallido et

miser. Multis medicaminibus per hoc tempus frustra adhibitis omnes has molestias primo mensium introitu cessisse bonaque valetudine se gavisam esse. Primi menses minime copiosi paucos tantum dies fluxisse, exinde semper rediisse irregularres, V^a vel VI^a quaque, vero etiam IV^a hebdomade, sed tum semper parcos. Hanc irregularitatem mensium vero ne minime quidem valetudinem tetigisse, quum omnes domesticos labores satis bene perficere potuisse.

XX^o anno aetatis nuptias iniit. Anno sequente primum partum edidit, secundum menses post XVIII, utrumque facillimum et celerimum, ita ut a primis doloribus usque ad partum finitum unius vel unius et dimidiae horae tantum spatium necessarium esset. Res adversariae non sunt secutae, puerorium tam bene praeterit, ut iam post dies eeto exire posset. Graviditatis terliae duos post annos secutae quattuor circiter mensibus peractis, morbo quodam primo pro Epilepsia habitu correpta est. Cum viro a saltatione, ubi ipsa saltasset nec non vini aliquantulum bibisset, domum se reversam et post horas nonnullas somno dedita res domesticas curantem repeuste procidisse et per longum tempus sui insciaciam fuisse narrat. Has accessiones sequenti tempore saepius rediisse, postremo decies vel duodecies per diem. Primo tempore in cura allopathica multis medicaminibus frustra adhibitis, inter alia electricitate, quae tamen pectorum tantum reddidisset morbum, postremo in cura homoeopathica, quae non pro epilepsia, sed debilitate nervorum tantum malum habuerat, alimentis nutrientibus et remoto acido quolibet et excitante cibo vel potu, una vero etiam medicaminibus interne porrectis non multum post iam meliorem se sensit, impetus rariores facti denique omnino cessaverunt. Partus interea tertius antecedentibus duobus aequo celer et facilis erat secutus.

Per graviditatem quartam post annum secutam sae-

pius adhuc morbi tentationibus supra nominatis multo vero lenioribus ac rarioribus, quam aucta vexabatur. Partus infantis quarti tribus antecedentibus erat aequalis. Puerperio peracto quamquam bonis et nutrientibus alimentis frueretur, tamen erat tam debilis et infirma, ut per longum tempus loctum relinqueret non posset, qua ex causa per annos sequentes tres gravida facta non est. Viribus vero restitutis nec non mensibus aliquot quamquam minime copiosis et irregularibus reversis, mense Septembris anni 1847 quinta graviditas initium cepit, quo tempore se satis bene valuisse affirmat.

Una hac cum graviditate in regione pubis dolores extiterunt lacerantes, qui procedente graviditate incessu magno erant impedimento. Ambulando graviores facti et vehementiores, in quiete tantum, praccipue in cubitu supino erant tolerabiles; per totam graviditatem durantes locum non mutarunt. Huius graviditatis decursus eumque sequentis partus historia in diario policlino clinici obstetricii Bonnensis de VIII. die mensis Junii 1848 ab assistente illius temporis Dr. Schervier reservata est. Anamnesticis illis praemissis scriptor haec dicit.

»Primis graviditatis mensibus usque ad primos infantis motus saepissime repente vehementem, sed praetereuntem dolorem sensit, in profundo regionis pubis, in internis finibus plicarum inguinalium, ita ut libere meandi facultas decesset. Graviditatis altera dimidia parte loco fugacium doliorum permanentes maximeque cruciantes extiterunt eadem in regione et in regione sacrali, qui ingressum difficiliorem etiam redderent et solum cubitu moderiores fierent. Urinam semper fuisse colore rubro sed non turbidam. Statu ram corporis esse in brevius contractam mulier se non observasse affirmat. Conditionem universalum bonam fuisse. Finis graviditatis molestior fiebat et quamquam sat bene nutrita videbatur gravida, tamen facies erat pallida,

tumida; oculis annulo coeruleo circumdati, splendentibus. Pulsus regularis, mollis; lingua muco albido obtecta.

Die VI. mensis Junii quum nocte dolores incipientes sensisset gravida statim obstetricem accessiverat. Haec præter situm foetus perversum coarctationem quoque ossium pelvis observavit, et auxilium petiit in clinico obstetricio.

Conatus, apta gravidæ positione situm infantis mutandi, qui se digito perscrutanti transversum, capite dextrorso ostenderat, non successerunt.

Dici VIII. Iunii horis matutinis quum velamentis ruptis magna copia aquae desluxisset, dolores siebant fortiores. Clunes infantis in ramo horizontali sinistro ossis pubis innixae, extremitas inferior sinistra supra introitum pelvis transversa incumbebat. Venter ad dextram spectabat. Uterus mollis, non dolens, circa foetum contractus, sed eum non constringens; dolores fortes et dolentes.

Exploratione per vaginam arcus ossium pubis abnormiter angustus inveniebatur, ita ut rami eius descendentes satis longe a summo arecu vix pollicem distarent et paribus fere spatiis descenderet. Quamobrem exploratio erat difficultis, quod digitus explorans, ut ad uterum perveniret, valde in aversum duci cogeretur. Pars posterior pelvis vero satis ampla videbatur, ita ut modicæ magnitudinis foetus perduci posset.

Pelvis tota, quæ affirmante obstetrico priore tempore amplissima fuerat, rostro infractione ramorum horizontalium ossium pubis exerto perspicue signa osteomalaciae præcebat,

Recta et vesica evacuatis parturiens in lectum transversum collocata et tam propter positionem foetus perversam tam propter angustiam pelvis versio foetus in pedes est instituta, quæ operatio quamquam cum difficultate, tamen feliciter finita est. Uterus max bene se contraxit. Puerperium rite ac commode occurrit, octavo die mulier reliquit

lectum. Exhinc mulier non querebatur de doloribus in regione sacrali, lassitudine, torpore extrematum inferiorum, sistere potius videbatur morbus.«

Hebdomade sexta post partum menses redierunt copiosissimi, qui durabant X ad XII dies. Praeterea redibant quater regulariter quarta quoque hebdomade, pari modo copiosi. Postremum aderant mense Octobris 1848. His sanguinis amissionibus minimo sese debilitatam esse, e contrario meliorem se sensisse, quam antea mulier affirmabat.

Præsentem graviditatem initium cepisse opinatur ex eo tempore, quo menses cessassent. Per totam graviditatem ne aliquantulum quidem turbata erat valetudo; dolorum illorum, quibus per graviditatem antecedentem vexata erat, per hanc ne vestigium quidem exortum est.

Partu supra descripto feliciter finito nec non periculis puerperii a puerpera superatis, Dr. Schervier talibus in rebus mulieri cōsilium dedit, nova in graviditate, nisi avertere eam posset, mature explorationi se subiucere accuratae, ne si iterum quid fieri necessarium foret, tempus idoneum et remedia optima praetermitterentur. Quam sortem quum effugere non posset mulier conscientia graviditatis sextae cōsiliī illius immemor mense Iunii in clinico obstetricio auxilium petiit.

CONDITIO PRAESENS.

Gravida est statura parva, quattuor circiter pedes magna, sed corpore satis robusto et bene nutrita. Color cutis, præcipue faciei sanus et vigens, oculi clari et vegeti. Corpus minime demonstrat contracturas aut deformitates, præcipue columnæ vertebrarum. Ingreditur erecta, nec magis claudicat, quam mulieres in hoc graviditatis mense solent. Conditio universa bona, somnus quietus, appetitio bona, lingua pura, alvus quotidie normaliter soluta, pulsus

regularis 68-70 ictus habet per sexagesimam horae partem.
Motus infantis toto in abdomen sentiuntur.

EXPLORATIO EXTERNA.

Mammae magnae, molles, color earum idem totius corporis, verucae mammarum bene conformatae, prominentes, areola fusca diametri pollicis unius et dimidii circumdatae, quibus pressis nil profluit fluidi.

Abdomen magnum, tensum, valde propendet, sed partes subiacentes perspicue sentiri possunt; fossa umbilicalis fere evanuit. Fundus uteri usque ad serobiculum cordis porrigit. Per tegumenta abdominis corpora rotunda et dura, quae pressu manuum cedunt, sentiuntur et pro infantis partibus haberi possunt. Abdomen pressu non dolet. Streptus cordis infantis perspicue audiri potest in latere abdominis sinistro inter umbilicum et cristam ossis ilium. Streptus placentae item audiendum est.

EXPLORATIO INTERNA.

Vagina mollis, calida, lubricans. Portio vaginalis 3-4 lineas longa, circatricibus et rupturis exstructa. Orificium uteri clausum. Partes infantis non sentiendae. Ossa pelvis mutationem maxime dignitatis monstrant; perspicue enim cognoscitur infirmitas ramorum horizontalium et descendantium ossium pubis praecipue lateris dextri, rami descedentes paribus fere spatiis decurrent et tubera ossium ischii vix pollicem inter se distant, ita ut arcus ossium pubis similitudinem habeat rimae longitudinalis. Symphysis ossium pubis rostrum pelvi osteomalaciae proprium perspicue format. Paries posterior pelvis ac promontorium attingi non possunt. Hac ex exploratione ne momentum quidem dubitandum erat, quin alio modo quam sectione caesarea foetus ad lucem proferri posset. Quod cum gravida comperisset,

nec non pericula hac cum operatione coniuncta cognovisset) exemplo consensit bonoque animo sub fine mensis Iunii in clinico recepta est.

PARTUS ET OPERATIONIS DESCRIPTIO.

Die 29. mensis Iulii primi dolores praesagientes se ostenderunt et nocte sequente doloribus vehementioribus hora quarta matutina aquae ruptae sunt; orificio uteri thalieri magnitudinem erat molle. Praeiacuit manus sinistra et paullulum altius funiculus umbilicalis alacriter pulsans. Parturiente minime excitata mensae in qua operatio erat instituenda imposita uteroque dextrorum pendente quantum potuit in medium abdomen protruso, in linea alba, loco maxime prominente postquam assistentes Doctores Feld et Nettekoven pressum circularem abdominis nudis manibus instituerant, cl. Kili an incisionem fecit sex fere pollices longam ab umbilico usque ad pollicem unum a monte Veneris porridentem. Ex vulnere abdominis nullum fere sanguinis effluxit. Tuba Fallopii sinistra in vulnere ad oculos venit; qua ex causa uterus paullulum adhuc ad sinistram protrusus pollicem circiter a tuba insectus est. Omimenti particula prolapsa linteo oleo madefacto reteata est. Vasa uterina praecipue venae largam sanguinis copiam emittentes manibus a latere prementibus facile potuerunt claudi. Velamentis apertis puer vivus ex vulnere uteri satis amplio pedibus primo apparentibus extractus est. Manus a latere prementes statim clauerunt vulnus. Post deligationem infantis quam contractio uteri post aliquod tempus expectata esset, placenta quoque per vulnus uteri remota est. Iterum iterumque haud ita magna sanguinis copia levipressu manuum evacuata uteroque satis bene contracto, suturae quattuor pollicem inter se distantes applicatae sunt. Totum vulnus longis et satis largis emplastris conglutinan-

tibus ita fulcitum est, ut emplastra in dorso media parte applicata abdominali toto circumposita inter ligaturas decussarentur; in inferiorem vulneris angulum emplastris non obiectum, quo secretum efflueret, linteum carptum, Sindon nominatum, oleo madefactum insertum est. Linteo carpto quodam et compressa adhuc impositis fascia tota absoluta est.

PUERPERIUM.

Die 30. mensis Iulii. Puerperium initium cepit hora octava matutina. Puerpora quae per operationem ipsam admirabilem quietem et constantiam prodiderat, alium in lectum collocata statim sumptis dosi secal. cornuti gr. X cum guttis nonnullis tintetur. cinnamoni et post horam tintetur opii simpl. guttis X, somno quieto opprimebatur; vulnus non dolebat; et conditio universalis bona erat; pulsus regularis nonagiusta ictuum; cutis modice calida et humida. Hora X. querebatur puerpera de dolore lateris sinistri abdominis, qui spiritu ducendo in pectus extendebatur et minimo motu provocabatur. Epithemata glaciei abdomini imponebantur.

Hora XII. in dextrum quoque latus abdominis et in pectus extendebatur dolor, abdomen tumefactum tactu valde dolebat. Cutis paullulum calidior et humidior, quam antea, lingua humida, sitis haud ita magna. Praeter epithemata glaciei praescriptae sunt hirudines circa vulnus abdominis et haec mixtura: R. Extract. hyoscyam. gr. XVI; aq. lauroceras. dr. II, aq. ceras. nigr. unc. VI syr. simpl. unc. β Mj D. S. Omni hora cochlear sumendum. Hora IV. postmeridiana dolores propagabantur in regionem sacralem, in nucham et caput; accedebat difficultas spiritum ducendi; abdomen valde tumefactum ne minimum quidem tactum perferre potuit; pulsus 106 ictuum; sudor calidus in capite et pectoro. Hora V. pulsus ictuum 120; ardor magnus totius cor-

poris; dolor ab dominis intervallis in latere sinistro fortior; sitis non magna, interdum aegrota paullulum tantum bibit aquae cum lacte; in fronte sudor glutinosus. Hirudines XVI. imposita sunt.

Hora octava respiratione accelerata pulsus parvus habuit ictus 130; dolor abdominis valde tumefacti tantus erat, ut loco vesicæ glacio impletæ compressæ tantum leves aqua frigida madefactæ imponerentur, quæ vero etiam non ita multo post seponendæ erant.

Inter horam VIII et X lacte saepius sumpto aegrota interdum eructavit; respiratio brevis: pulsus 130 ictuum cutis calida et humida.

Hora decima drachma ungt. hydragyri. cineri. cum camphora (ungt. hydrarg. ciner. unc II; camphoræ dr. β) ad femur infriacabatur; lotum puerpera sino molestiis emisit. Cutis calida et humida; pulsus 130 ictuum.

Hora XI. primum exstitit vomitus massæ subalbidae; floccosab, aegrotam valde levans; rediit hora XII., qui tantum levamen paravit puerperæ, ut dolores abdominis plane fere designerent. Conditio universalis bona, pulsus 130 ictuum.

Die 31. Iulii. Hora secunda nocturna haustus aquæ magna appetione a puerpera sumptus statim effecit, dolores in regione umbilici sequente nausea neque tamen vomitu; pulsus ictuum 125 parvus. Hora tertia quum potum calidum aegrota disideraverit aliquantulo infusi seminis foeniculi statim nausea, dolores vehementes abdominis in utroque latere vulneris usque in dorsum redierunt, quos secutus est vomitus massæ viridis saporisque amari, multo maioris quam quae sumpserat; magnum paravit levamen; difficultas respirandi et dolores ab dominis minutæ sunt. Infriacta est iterum drachma unguenti supra nominati ad femur et abdomen.

Hora quinta repetito infuso sem. foenic. exorta est nausea ac vomititiones tam molestæ, ut alterum haustum

theac illius peteret aegrota ad provocandum ipsum vomitum, qui revera evenit maximoque erat levamini. Cutis calida et humida, pulsus 135 ictuum.

Exinde bene se habuit aegrota; hora VII. loco linte carpti aqua et sanguine madefacti novum abdomini impositum est, quo facto aegrota praeter potum lactis et aquae particulam panis bono appetitu, quem ex horis 36 cibum non cepisset, edit. Usque ad meridiem multum temporis dormiens quieta erat aegrota. Pulsus dormientis ictuum 150. Propter magnam sitim saepius lac cum aqua porrectum est. Cutis calida, non humida; facies valde rubefacta; dolores abdominis deerant. Unguento illo iterum infricato saturatio kali carbonici confestim provocavit ructum et vomitum sequente levamine. Multum deinde bibt; cochlear alterum saturationis et decoctum hordei nauseam et vomitum excitarunt, quibus conditio universa aegrotae turbata sit. Pulsus 140 ictuum. Cutis humida; fluxus lochiorum odoris peculiaris adorat. Hora VI. loco linte capti madefacti novum abdomini impositum est. Reliquam huius dici partem quieta et interdum dormiens peregit aegrota, sudor largus toto in corpore exstitit. Unguenti illius iterum drachma circiter infricata est.

Die 1. Augusti. Hora prima nocturna questa et aegrota de frigore breve tempus durante; pulsus parvus 145 ictuum. Ab hora secunda questa est de nausea, quam hora tertia iam practerita vomitus secutus est, de lassitudine totius corporis et de dolore lateris sinistri. Usque ad horam VI., qua iterata est fascia, lotium quater sino molestiis reddidit.

Hora IX. in recenti lecto collocata puerpera valde sublevata est. Inieccio decocti althaeae in vaginam; infirctio nova unguenti cinorei; corpus vino lavatum. Interdum dolor ab dominis; lingua pura, sitis haud ita magna. Pilulae glaciales lubenter sumpsit aegrota. Clyisma ex de-

cocto althaeae cum oleo Ricini horam post dimidiam evacuatum est. Hora X. infantem mammis sine successu admovit aegrota. Aliquantum panis albidi magno appetitu edit. Pulsus 130 ictuum. Usque ad horam VII. vespertinam octies alvus soluta est antecedentibus interdum torminibus. Ructus frequens, vomitus tamen nullus; pulsus 130 ictuum.

Per noctem sequentem quieta erat aegrota; dormiebat fere horas tres. Ad sitim leniendam decoctum oryzae sumpsit. Alvus adhuc ter soluta; evacuata est massa flava, fluida, valde olens. Infantae mammae frustra praebuit.

Die 2. Augusti. Hora VIII. pulsus 120 ictuum. Praeter emplastra conglutinaria fascia tota renovata. Sindon nova non longe introduci potuit, quam vulnus iam clausum esset. Conditio universa bona; abdomen non ita magnum et molle fortiore pressum perferre potuit. Lochia bene fluxere; pulsus ictuum 120. Aegrota in lectum recentem collocata est. Per hunc diem aegrota bene se habuit. Interdum dormiens ad leniendam sitim haud ita magnum decoctum oryzae sumpsit. Potus antea porrectus lactis cum aqua propter alyum citam sepositus est. Mamuae minime turgescentes lactis copiam ad nutriendum filiolum sufficientem nondum secreverunt. Pulsus 120 ictuum. Albus bis tantum soluta, quamquam torminibus (praecedentibus) voluntas desurgendi saepius adesset. Sequenti nocte propter vehementes abdominis dolores duas tantum horas dormivit. Albus quinques soluta est. Lingua paullulum obiecta; cutis sicca; pulsus 120—130 ictuum. Abstinuit aegrota a bibendo; quod dolores adaugerentur.

Die 3. Augusti. Hora IX. de dolore magno abdominis questa est aegrota; sitis aducta, cutis sicca; pulsus 130 ictuum. Hora X. tota fascia remota, excepto angulo inferiori totum vulnus clausum inventum est, ita ut ligamentum infimum removeri posset. Abdomen valde col-

lapsum, molle, permagnum pressum perferre potuit. Fascia ut post sectionem iterum applicata est. Hunc per diem bene se habuit aegrota; meridie iusculum carnis cum oryza nec non carnis aliquantum bono appetitu edit; nulla molestia secuta est. Alvis duodecies soluta semper cum doloribus in regione sacrali exortis coniuncta. Pulsus quietior, horis vespertinis ictum 125; sitis moderata.

Dic 4. Augsti. Nocte propter alvum octies solutam non multum dormire potuit aegrota, per diem vero optimo se habuit. Meridie iusculum carnis et columbam dimidiā edit; sitis non magna. Lochia bene fluxere, secretio lactis vero adhuc minima. Alvis semel soluta, dolores abdominis diminuti. Supremo quoque ligamento vulneris paululum tantum puris sacernentis remoto fascia nova applicata est. Sequenti nocte alvis ter soluta. Doloribus quamquam valde minutis tamen parum dormire potuit puerpera.

Die 5. Augusti. Hora X. matutina repente exstitit febris duas per horas durans coniuncta cum coloribus mammarum, quam ex adaueto lactis secretione, quae perspicue sentiretur, exortam esse ac grota ipsa affirmavit.

Meridie iuseulum carnis cum oryza sumpsit nec non
vitulinao particulam, quam optime pertulit. Lochiorum
fluxus normalis. Volnus abdominis bono adspectu non mul-
tum secrevit puris. Alvus aliquoties soluta, Pulsus 108
ictuum.

Die 6. Augusti. Per totam noctem bene dormivit ac-
grotia. Horis matutinis ligamentum ultimum vulneris ab-
dominis remotum est. Secretio lactis quamquam parva,
tamen copiosior quam antea. Conditio universa optima,
pulsus 100 iectuum. Diaeta nutriendis.

Sequenti tempore quum nullo modo res adversae accedissent, conditio mulieris universa diacta nutriente indies melior facta est, ita ut hebdomades quattuor post operationem institutam optima valetudine Clinicum relinquere possit.

EPICRISIS.

Comparantes priusquam disjudicamus operationem nostram quaeque eam secuta sunt, historiam partus a Doctore Schervier narratam et eventum explorationis ante operationem a nobis habitam, obvenit illico raritas pelvis et symptomatum, quae diversa tempora praecedebant. Narrat Doctor Schervier, doloribus inceptis obstetricem animadvertisse praeter situm foetus perversum coarctationem pelvis magnam eiusque opem implorasse; se ipsum deinde exploratione anamnesequre instituta ne momentum quidem dubitasse, quin adsit pelvis osteomalacia correpta. Quae coarctatio quamquam non parva fuisse ex narratione videtur non tamon tanta erat, ne manus immitti, versio in pedes foetusque extractio fieri potuisset. Partu sinito puerperaque feliciter peracto mulier non amplius querebatur de doloribus in regione sacrali, nec de lassitudine nec de difficultate ingrediendi etc., „es schien vielmehr der Krankheitsprocess in Stillstand gerathen zu sein.“

Quamquam igitur inter omnes compertissimum est, pelvi osteomalacia correptae nihil nova graviditate periculosis accidere posse, hoc tamen casu quodvis aberat symptomata, quod progressum morbi praesagiret; nam mulier illa disertissime affirmabat, valetudinem suam per totum graviditatis cursum minime fuisse turbatam, praesor-

tim nullum rediisse indicium dolorum, quibus superiore graviditate tantopere cruciatam fuisse. Ex quo efficitur, osteomalaciam etsi soleat nova graviditate excitari adactisque symptomatis organismum muliebrem vexare, tamen lento quoque et occulto ac serpentino quodam modo laborantem corripere posse.

Lectorem benevolum sibi persuasisse confido, sectionem caesaream a nobis narratam et matri et infantia faustum felicemque fuisse, nec dubium est, unumquemque roi studiosum id quaerere, quae fuerit fausti illius eventus causa et origo. Nam quum variis temporibus et locis operatio sectionis caesareae matri perniciossima, immo letalis iudicata sit, quum hodie etiam docentibus tabellis statisticis plures operatarum perdantur, quam sanentur; quum denique inter omnes constet, haud operationem ipsam mulieribus esse letalem, sed quae eam insequantur, haud procul abest; ut quaeramus, utrum solo casu et constitutione mulieris mors aversa sit, an ars quoque medica partem quandam gloriae sibi vindicare et pericula operationem sequentia a se recte intellecta et aversa credere possit. Vidimus, totam operationem et puerperium nullo casuum illorum infelictum turbatum esse, qui toties artis peritos terrebant puerperasque exanimabant; tam felix, tam faustus erat operationis decursus, quam expectari poterat; prolapsus tantopere timendus omenti et intestinorum, perturbationes puerperii, vehementes inflammations, amissiones sanguinis, vomitus, collapsus virium aliaque similia vel plane aberrant, vel tantula, ut timorem excitare non possent.

Non est dubium, mulierem laesionem operatione suis praecipuo ipsius viribus viciisse; namque conditio mulieris ante operationem talis erat, ut prognosis fausta haberi posset. Erat enim, ut supra diximus, mulier satis valida, bene nutrita bonaque adspectu, cuius corpus nullo morbo, minime osteomalacia labefactum et debilitatum erat, quae

optima valetudine se esse ipsa affirmabat; cuius appetitus ciborum bonus, alvus regulariter soluta; ultra si respicimus conditionem miserabilem durante tertia et quarta graviditate, symptomata tristia, comitantia nascentem per quintam gravidatem osteomalaciā, e contrario vero, si respicimus quae narravit, Doctor Schervier de hoc morbo et cursu huius gravidatis; per quam a doloribus illis vehementibus libera optima valetudine gaudebat, ut morbus nisi extinctus, tamen minutus videretur; si respicimus denique animum mulieris usque ad ultimam graviditatis momentum hilarem et securum, quo operationi periculosa exituque dubiae obviam ibat, eamque pertulit, ita ut omnium qui aderant summam moveret admirationem; ea omnia si intuemur, negare non possumus talem fuisse mulierem, quae iniuriis sectione caesarea sibi illatis fortibus viribus restitute posset.

In commentatione de cura sectionis Cesareae quam Dr. B. Wagner ephemericibus „Neue Zeitschrift für Geburts-Kunde“ inscriptis inseruit, auctor valde queritur, plurimas sectiones caesarea operatarum obiisse, coquo magis hoc queritur, quod operatione mature facta infantes saepissime serventur. Würde, inquit, entweder durch Erfindung einer zweckmässigeren Operationsmethode oder aber richtiger wohl durch Auffindung und Anwendung zweckgemässerer Mittel, welche sicherer als die bisher geübte (Behandlungs-) Methode sowohl die sofort nach der Operation eintretenden dringenden Zufälle als auch die Gefahr der nachfolgenden Entzündung und deren Folgen, besonders aber das oft rasche Sinken der Kräfte der Operirten zu hemmen vermöchten, gelingen, die bisher anerkannt hohe Gefährlichkeit der fraglichen Operation für das Leben der Kreissenden zu vermindern, so würde, wie ich fest glaube, dadurch eine bedeutende und wohlthätige Reform in diesem Zweige der operativen Geburtshilfe be-

wirkt werden. Besonders würden andere nicht minder gefährliche Operationen, der Schamfugenschnitt, die Perforation, die Embryotomie, oder gar die Cephalotripsy, bei welchen letztern Operationen jedesmal das Leben des Kindes verloren ist, ohne dass für das Leben der Mutter Garantie geleistet werden könnte, immer seltener werden.

Hac in *commentatione* auctor magnam partem infelicium sectionum caesarearum tribuit malae et ineptae curae; maxime impugnat methodum antiphlogisticam, pracsertim si plene et stricte adhibeatur. Recte scribit mulieres quae sectione caesarea operantur, nunquam debilitationem illa methodo natam posse perferre, semper cachexiis, moxore, aerumnis ac miseria esse debilitatas; symptomata, quae alioquin inflammationem indicant, non esse verae inflammationis signa, sed potius a nervorum systemate pendere, ideoque nonnisi remediis sedantibus et methodo roborante mature adhibito feliciorum eventum effici. Hanc opinionem auctor probare studet et cura in iis sectionibus adhibita, quae litteris vulgatae sunt, et sua ipsius experientia ex casibus, in quibus similia symptomata, ac in sectione caesarea apparere solent, atque eam sententiam profitetur, quum in inflammatione omni exiliationem vel limitationem methodi antiphlogisticae plus utilitatis afferre, quam tali usu, in quo nullius ratio habetur, tum certe sectionis caesareae eventus iuflices minui et timorem huius operationis extingui.

De singulis operationis actibus haec maxime adnotanda videntur.

Operatio facta est septima hora matutina, aquis tres horas ruptis, hac lege obtinente, tum esse operandum quum nec vires matris longis doloribus fractae nec vita infantis his inutilibus uteri laboribus, quibus corpus infantis in pel-

vem contruderetur, perdita esse possent, nullo discrimine, aquae ruptae sint necone.

Locus incisionis erat linea alba; cuius methodi virtutes inter viros artis peritissimos satis constant. Tertium grave et memorabile momentum erat pressus circularis nudis manibus in abdomine institutus. Quod cum merito magni momenti habetur, prolapsum intestinorum et efflumum fluidorum in cavum abdominis apto pressu quam maxime prohibere, nihil certe opportunius esse potest, quam manus assistentium rite impositae. Nec enim spongiae a Graefe V. Cl. commendatae, nec alia quaedam fascia munera manuum mollium et flexibilium exploro valent.

Quae res hac operatione nostra valde iuvatur et demonstratur; abdomine enim aperto, cum omenti particula prolabetur, parvus manuum motus a latere particulam prolapsam tam diu in vulnera comprimebat, donec opportuno tempore in suum locum redigeretur, foetuque extracto manus ab utroque latere statim vulnera concludentes simul sanguinem ex uteri vulnero profluentem et aquas expellabant, ita ut fluidorum profusio prorsus prohiberetur. Itaque praecceptor noster maxime venerandas Dr. Kilian, V. Cl. rectissime observat spongiis illis, quamvis accuratissime impositis prolapsum intestinorum (quod ipse Kilian vidit) non prohiberi, immo spongiis remotis nudas manus applicandas esse, ita ut spongiorum istorum impedimentum prorsus superfluum videatur.

Haud levis denique videtur conclusio vulneris non prematura. Quod non ita intelligi volumus, conclusionem minime esse accelerandam, sed opinionem putamus omnino falsissimam, operatione paucissimis temporis particulis confecta nihil absolutius esse, immo vulnus diutius apertum accedente aëre et immiuente intestinorum prolapsu periculosa, neque vulnus prius claudendum censemus, quam operans sibi persuaserit, uterum contractum esse fluidaque

provenire desissce. Quod ut assequamur, pressum illum manuum circularem utilissimum iudicamus; namque contractione uteri omnino deficiente pressus uteri optimum remedium landatus et probatus est plurimumque facit ad evanescenda fluida.

Operatione peracta mulier in lecto praeparato ponebatur, eique statim ad levandas vires operatione depressas et excitandas utori contractiones dosis secalis cornuti gr. X cum tinct. cinnamomi porrigebatur, quod cuique rectum et idoneum videbitur. Una hora postea porrigebantur guttae X tincturae opii simpl., quod remedium a praeceptore venerando Kilian, sua experientia amplissima doctus optimum maximum laudat et praedicat; nam persuassimum habens nauseam et vomitum, ructum et dolorem, operationem saepe statim sequentes minime esse symptomata organorum abdominis laesorum inflammationis, sed potius a systemate nervorum operatione irritato pendere, ex sua sententia nihil melius iudicare potest, quam remedium sedans et leniens, omnium potissimum autem opium, et magna quidem dosi ut Kiliano placet. Neque in hoc nostra casu defecit, quum mulier conserstum quieto somno per totam horam sopiretur.

Duabus horis post operationem praeteritis paullatim apparuere symptomata inquietantia, exoribantur dolores vehementes et durantes in sinistro abdominis latere, qui respirando usque in pectus extenderentur levissimoque motu augerentur. Pulsus erat 90 ictuum per sexagesimam horae partem. Contra quos dolores statim glacies vulneri imponebatur. Quum per diem dolor augeretur inque latus dextrum abdominis extenderetur, abdomen ipsum intumesceret et leni tactu valde doloret, simul pulsus frequentior fieret, ita ut 104 ictus numerarentur, praeter applicationem glaciei continuatam haec mixtura narrotica praescribatur: R. Extr. hyoscyami gr. XVI. aq. laurocerasi dr. II; aq.

cerasor. nig. unc. VI. syr. simpl. unc. β S. Stündlich 1 Esslöffel.

His symptomatis continuo crescentibus IV. hora post-meridiana sedecim hirudines ponebantur circa vulnus. Neque haec tamen levamen aegrotae parabant; adacta e contrario omnia ista adversa signa videbamus, ita ut IX. hora vespertina abdomen valde intumefactum ne minimum quidem tactum perferret, quare vesicae glacie impletæ et compressæ illarum loco postea impositæ prorsus removebantur; ut dolor per totum abdomen et pectus usque ad collum extenderetur, ut respiratio brevis, difficilis et pulsus frequentior fieret usque ad ictus 130.

Comprehendentes igitur symptomata gravia per hunc primum diem exorta et curam contra ea adhibitam, prosteamur necesse est, hanc curum nihil prosecuisse; plane eam nocuisse, affirmare non audemus, nulla sectione caesarea nota, in qua aegrota sibi ipsi commissa sit.

Hoc loco primo respicientes commentationem Doctoris Wagner supra memoratam, quaedam in ipsa momenta occurruunt notata dignissima. Opium, ut praeceptor noster Kilian, primo loco ponens, »Nie, inquit, würde ich wagen, an die durch den Bauchschnitt verwundeten Theile Blut-egel zu legen; meist folgt danach Verschlimmerung des entzündlichen Reizes und der Aufreibung. Höchst wohlthätig dagegen würden sicherlich unter Umständen, wo die locale Reizung ein örtliches Beruhigungsmittel verlangt, kühle, — nicht ganz kalte — Umschläge von aq. saturn., aq. chamomill. aa mit extr. opii aq. sjoh erwiesen. Diese Mischung thut nicht selten Wunder und dämpft oft zäuberähnlich in Verbindung mit den vorhin genannten innern Mittel (plumb. acetic. in Verbindung mit tinct. opii oder kleinen Gaben morph. acet.) jede entzündliche Aufregung.

Quum igitur praeter hunc nostrum multos casus existent, in quibus pari conditione similiisque cura nihil utile

evenit, haud inopportune videtur pro methodo stricte anti-phlogistica, quam usque ad hoc tempus sociuti sunt, leniorem a Wagnero V. C. laudatam adhiberc, quamquam hic auctor ipse fatetur, se ipsum nunquam sectionem caesaream curasse, sed hanc sententiam suam ex descriptione aliorum casum et ex sua in similibus casibus experientia hausisse.

Accidentiae illae molestae et adversae modo descriptio XI. demum hora vespertina vomitu exsistente minuebantur. Per diem iam aegrota interdum ructaverat nauseamque questa erat, sed nondum vomuerat. Media nocte vomitus redibat magni lavaminis, cessante difficultate respirandi et doloribus abdominis multo minutis, pulso rariore fiente.

Quum autem mulier ad leniendam magnam sitim paululum bibisset, mox omnes molestiae redibant, vomitu inseguente iterum remittebant. Aliquantulum deinde infusi seminis foeniculi sumptum tales illico nauseam et vomititiones efficiebat, ut aegrota vehementer haustum infusi ad provocandum vomitum ipsum desideraret. Quod remedium propositum assequebatur; namque evacuatio ventriculi statim insequens tantum puerpera levamen parabat, ut ab omnibus doloribus libera pressum etiam modicum abdominis toleraret.

Haec quies benevolia, qua aegrota per totum diem gaudebat, post meridiem iterum interrumpebatur data saturatione kali carbonici; continuo enim nova nausea et vomitus sequente levamine exoriebatur.

Apparet igitur, vomitum, quod symptoma saepe causam iufeliciis eventus habeat ideoque tantopere timent hoc casu non solum non perniciosum, sed etiam salutare evasisse; orto enim vomitu omnia inquietantia et molesta, quae apparuerant, evanescebant, meteorismus et vehemens dolor abdominis et difficultas spiritum ducendi, et aegrota bene se habebat, immo Potionem Riveri, ad leniendum et vomi-

tum sedandam datam, diversum et contrarium effectum habuisse et vomitum revocasse observamus.

Ex his, quae diximus, haec prima oritur quaestio, num vomitus sectionem sequens symptoma revera tam periculsum sit, quam denuntiari soleat? et si periculosum sit, hoc periculum nascatur ex remedii inceptis vel superfluis? Porro: Estne magnae operae pretium, quoque casu hoc symptoma superare? Nonne potius remedii consuetis perniciose solet augeri? Si vero aliquid remedii adhibendum, quid quaesocrit aptissimum et utilissimum? Nequaquam in mente esse potest, hoc scripto regulas curae sectionis caesareae generales et absolutas tradere, ei operi vires nostras multo debiliores et experientiam multo leviores arbitramur, et opprobrium arrogantiae, felicem hunc sectionis caesareae casum quasi normam et regulam proponere, quam longissime a nobis removeremus; sed narrantes et persequentes singula casus nostri, bonum quodque et malum, necessarium quodque et superfluum quoad modum curandi, vituperationem non incurrere confidimus, si casum vulgamus itaque extendimus, ut in alios quoque traduci possit.

Pericula vomitus frequentioris nominantur ruptus vulneris abdominalis et quae mala cum eo cohaerent, ingens depresso virium et ipso vomitu effecta irritato partium vulneratarum, quam sequitur inflammatio.

Primum, quod ad ruptionem vulneris, negari haud potest, integumenta abdominalis vomitu affici, itaque vulnus eorum torqueri et irritari; sed ruptio quidem vulneris, scissio vel dissectio filamentorum fascia diligentur et apte alligata, qualia in hoc casu emplastra conglutinaria erant, vix credibilis videtur. Neque tamen negligendum putamus, fasciam illam vomitu instante rite iuvare manuum pressu caute applicato, quod quidem in nostro casu accurate observatum est.

Quamquam vomitus facilitate satis magna procedere

solebat, interdum tamen videbamus magnam difficultatem sine ulla vi perniciosa in vulnus, e contrario, ut diximus, minus dolebat.

De reliquis discriminibus e vomitu exorientibus, depressione virium, irritatione vulneris et insequente inflammatione opinio nostra ex nostra casu hausta alia est, quam quae vulgo profertur. Loco depressionis, lassitudinis animadvertemus sublevationem, incrementum virium, loco crescentis inflammationis abdominis grandis, irritabilissimi apparebat momentanea diminutio, tota fere absentia symptomatum inflammationis. Eratne igitur causa nobis vomitum timendi? Nonne e contrario indicium erat exoptatum, verum remedium et medicamentum? Non possumus non hanc sententiam assentione nostra approbare, vomitum esse criticae naturae, casum, quo gasa, quae dicuntur, ingenti numero collecta, quae procul dubio solo pressu suo molestias illas alioquin inflammationi tributas, efficiebant, salutarior sursum evanabantur, quia exitus deorsum propter alvum adstrictam obstructus erat. Quodsi quis forte opponat periculum hoc casu non adfuisse propter absentem vehementiam et paucitatem vomituum, inspiciat historiam puerperii, ubi leget, aegrotam certe patientissimam lamentationes reticere non potuisse, vomitum praeterea horis triginta sex septiesevenisse, ut de causa et vomiturionibus intervenientibus tacemus.

Sed hoc ipsum concedatur, in aliis casibus vehementiam multo maiorem et vomitus crebriores fuisse, et inde veram calamitatem evenisse, quaerimus tamen, an haec omnia sua sponte facta, an mala cura orta sint. Quod demonstrare, si non impossibile, certo difficillimum est; sed conjecturas et dubitationes quotunque lubet, habere possumus, quae moventur observationibus per quattuor horas puerperii factis.

Quum enim applicata glacie et hirudinibus abdomen

valde intumuisset et doluisset, dolor etiam per pectus et collum extensus esset, hora undecima vespertina primus vomitus sublevans exstitit. Idem rediit usque ad horam octavam et dimidiā matutinam sequentis dici ter, aqua et lacte et infuso seminis foeniculi alternatim sumptis, quo ad leniendam sitim magnam porrigebantur. Hora octava et dimidia huic potui paullulum panis adiiciebatur; primus cibus firmus, quem aegrota triginta sex horis percipiebat. Secuta est quies et somnus usque ad meridiem. Quum expergefactae propter magnam sitim iterum aqua et lac ei secunda hora primum cochlear potionis Riveri (iam manu perscriptae, sed post meridiem demum ex officina allatae) data essent, confessim vomitus rediit. Secundum cochlear potionis Riveri quarta hora, aqua et lac cum aliquantulo decocti hordei statim idem efficiebant ita, ut conditio universalis vomitu turbaretur. Quae res nullius momenti sunt? Languidus potus aquae et lactis et miserabilis infusi seminis foeniculi, sola cibaria, quae aegrota per vingtiquatuor horas longinquas perceperat, ventriculo minime convenire poterant, eiiciebat ergo; unum frustum panis quietem sex horarum parabat. Hoc digesto superior potus, qui iterum lubebat, praeterea etiam cochlear mixturae quid aliud efficerre poterant, quam ut perderent, quod frustum panis profererat. Potionem Riveri vomitum revocasse nobis handubium est, nec minus verum, potum porrectum ineptum fuisse. Quod si quaerimus, quae remedia adhibenda fuerint, commentationem supra memoratam a Wagnero conscriptam, iterum consulamus necesse est. Hic autor quum primam indicationem judicat post perfectam sectionem caesaream prima operationis vi deprimente aptis remediis analepticis sublata, remediis sedantibus irritationem turbati nervorum systematis lenire vel eam praevenire, ideoque cum praceptor reverendo Kilian optimum remedium putat opii vel morphii non parvas doses, immo dosi apta hu-

ius remedii plurima alia remedia saepo minime desiderari arbitratur, (quia secundam indicationem insequentem irritationem fabilem sedandi, saepe praeveniat) quum deinde monet solitam vulneris abdominalis curam, quam supra iudicavimus, esse vitandam et loco antiphlogisticæ debilitantis lenientem et sedantem methodum laudat et commendat; tum tertiam et gravissimam indicationem censet esse levationem virium. »Je weniger, inquit, ich diese in der Nachbehandlung veröffentlichter Kaiserschnittfälle beachtet finde, um so eindringlicher muss ich darauf hinweisen, dass die reizende, die Kräfte hebende Methode mit der beruhigenden, reiztilgenden gerade hier oft schon Hand in Hand gehen muss. Ein genaueres Studium der resp. Litteratur hat mich gelehrt, und Erfahrungen verwandter Fälle haben es mir bestätigt, dass es Fälle gibt, die den Moschus neben dem Salpeter und dem essigsauren Blei erfordern. Auch darauf muss ich ausdrücklich hinweisen, dass der rechtzeitige Gebrauch der China mit restaurirenden Nahrungsmitteln zu einem glücklichen Erfolge der Cur sehr wesentlich ist, besonders da, wo trotz einer milden Behandlung eine Eiterungsperiode mit starker Entkräftung eintritt.

Plane et prorsus huic Wagneri V. Cl. assentientes sententiae imprimis nutrimenta restaurantia monemus. Quao si adhiberentur una cum opio, cuius virtutes satis probatae sunt, multa arcerent, quae alliis medicamentis provocantur. Strictam methodum antiphlogisticam omnino repudiantes, quum nefas ac scelus reapse foret mulierem ceteroquin fragilem et debilitatam magis etiam enervare, quum e contrario experientia multifaria constet, symptomata fere nunquam ex vera inflammatione, sed unico ex irritato nervorum systemato proficiunt et narcoticis facile depelli, quid, quaesumus, nutrimenta nocent, quae tanta cum pertinacia arcentur? anne inflammationem organorum abdominis laesorum fovent vel excitant? Vix credibile videtur, nutrimenta lenia,

quæ ad sustentandas tantummodo vires porrigitur, inflammationem provocare, quæ etsi adesset, ea tamen est, quæ ex ratione et experientia quocunque remedium antiphlogisticum velet, sedantia autem et roborantia medicamenta etiam atque etiam desideret. Nam ne obliviscamur, quales mulieres praesto sint: membris debiles, male nutritæ, cacheticæ, et quum in quovis morbo talium hominum primum id spectare debeat, ut diaeta apta et creando sanguine sano morborum impugnet, certe nulli sapienti medico in mentem veniet, in inflammationibus vel gravibus vulnerationibus talium hominum adhibendo apparatu antiphlogistico et privandis nutrimenti sanguinem iam satis corruptum deteriorem reddere. Non magis autem nutrimenta vomitum iuvabant, quam inflammationem inhibebunt, contra et supprimunt; ventriculus enim mulierum, in quibus sectio caesarea adhibetur, plane sanus esse solet et vomitus exoritur neque et vicio organorum neque ex irritatione inflammatoria vel alia tunicarum ventriculi, sed parlim efficitur nervorum vi, partim irritatione mechanica aëris in intestinis collecti, quibus normalis motus peristalticus intestini mutatur in abnormem antiperistalticum, pars inferior intestini prævalet superiori, ventriculus in dominatione reliqui tractus turbatur vomitusque adest. Considerantes autem, quemque musculum, qui non exercetur, vel contra naturam exercetur, languescere, ventriculum natura destinatam esse, ut saepius agitatur beneque se habere, quum cibi ei affrantur, nutrimenti privatio non potest, quin ventriculi vires minuat et debilitet. Quid igitur, si ad privationem huius irritationis ventriculi naturalis et necessariae, aliae etiam et positivae, nocendi vires accedant, quales languidum istum potum assidue porrectum et medicamina iudicamus, maior etiam virium collapsus sequatur necesse est.

In sectionis caesareæ cura ista et similia accidi videimus. Posteaquam mulier præparationis gratia cibo longe

abstinuit, operatione peracta omnes qui adsunt nihil aliud student, quam ut quidquid obnoxium a muliere miseranda scilicet et afflita arceant, cibum maxime, quum nefas habentur, puerperae eique graviter vulnerata alium cibum praebere, quam infusum aliquod odiosum et reapse sumum fastidium creans vel potum miserum lactis cum aqua, non aliud irritamentum esse potest, quam mixtura aliqua ex thesauro medicaminum, vomitus potionē Riveri sedatur, aegrota diligenter monetur quamque libidinem cibi supprimere, quum primis diebus perniciosissimum sit, vesci aliquè re etc. etc.

Tali curae assentire non possumus, quae etiam experientia damnatur. Certe quidem hunc nostrum casum ad hanc experientiam facere arbitramur; namque, vomitus ut supra narravimus, et vomitritio non nisi vacuo ventriculo eveniebat, quum vero ventriculus paullulo panis ad suam naturam redacta esset, tamdiu aegrota quieta erat, quamdiu ventriculus digerebat; potio deinde repetita et medicamenta in vacuum ventriculum immissa, vomitum statim revocabant.

V I T A.

Ego Albertus Weber natus sum in Daun in Elfia sita, anno MDCCCXXIII. parentibus Iohanne Petro Weber, Doctore med. nec non physico et Anna Maria e gente Hoelzer, quos vivos adhuc veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis in schola, quae in loco natall est, instructus Gymnasium Trevirens frequentavi per annos quaque et dimidium; testimonio maturitatis a gymnasio Coloniensi istructus auctumno anni MDCCXLIV. in civium numerum nademicorum receptus sum Rectore t. t. Magnifico Cl. Plücker; in album gratiosi medicorum ordine inscriptus sum a Cl. Naumann, t. t. decano spectatissimo. Per annos duos hic in alia universitate versatus, me contuli Wirsburgum, ubi per annum et dimidium moratus sum. Tum Bonnum reversus chirurgi officis funtos sum militaris, semestre vero postremum rei medicæ studiis consumptum est.

Professores quorum per totum hoc tempus interfui et lectionibus et exercitationibus practicis, hi sunt: Bonnae: Viri Cl. Cl. Mayer, Weber, Harless, Naumann, Nasse, Wutzer, Kilian, E. Bischoff, Plücker, van Calker, Goldfuss, G. Noeggerath, Doct. doctiss. Schaaffhausen, Hoppe. Wirsburgi: Cl. Cl. Textor, de Marcus, Kiwisch ab Rottoran, Rinecker, Münz, Mohr.

Quibus viris omnibus summopere de me meritis pio gratoque animo gratias habeo semperque habebō.

THESES.

- 1) *Methodus antiphlogistica in sectionis caesareae cura reuicienda.*
- 2) *Versio infuntis in pedes in pelle angusta cautissime instituenda.*
- 3) *Arteriotomia nunquam adhibenda.*
- 4) *Cuprum sulphuricum in angina membranacea non remedium specificum.*
- 5) *Cura symptomatica medico licet.*
- 6) *Trepanatio crani, ad curam prophylacticam instituta, est vituperanda.*